

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Convivium Religiosum. Evsebivs, Timothevs, Theophilvs, Chrysoglottvs,
Vranivs

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

qua non est multi negotii excogitare. Verum, ne immodici videamur, his in praesentia contenti sumus. Alias, si voles, copiosius hac de re colloquimur. C. Ego te, Augustine, jam planè exhaustum putabam. Sed tu prater expectationem novum thesaurum indicasti, quem si pergas explicare, nox ante occupaverit, quam tibi eadem de re desint verba.

A. Si ego hoc mediocri & doctrina ingenio praesto, quantum Ciceronem ipsum valuisse credis, qui

p. 121. cum (a) Roscio histrione certasse legitur? Sed sol
Colloq. Helv. nos relinquit. Humescit cælum: praestat imitari aviculas, tectoq; ac lecto nos condere. Proinde vale, mi
p. 175. Christiane suavissime, in crastinum. C. Tu itidem bene valeas, Augustine omnium doctissime.

(a) Lege Macrobius. lib. 3. Satur. cap. 14.

CONVIVIVM RELIGIOSVM.

Colloq. Helv. p. 498.

(a) EVSEBIUS. (b) TIMOTHEVS. (c) THEOPHILVS. (d) CHRYSOGLOTTVS. (e) V-RANIVS.

(a) Id est, pius. (b) id est, charus Deo, vel charum habens Deum. (c) id est, amans Dei. (d) id est, auream habens linguam. (e) id est, coelestis.

E. Quum omnia nunc ueruent ac rideant in agris, demiror esse, qui fumosis urbibus delectentur.

T. Non omnes capiuntur adpectu florum, aut praetorum vernantium, aut fontium amniumve: aut si capiuntur,

capuntur, est aliud quod magis iuvet. ita voluptas voluptate, veluti clavus clavo pellitur. E. Tu mihi fortasse seneratores narras, aut his similes negotiatores avaros. T. Istos quidem, sed non solos, ô bone: imò cum his innumeros alios, usque ad ipsos sacerdotes ac monachos, qui ferè quæstus gratiâ malunt in urbibus, iisque frequentissimis versari, dogma sequuti, non Pythagoricum, aut Platonium, sed cæci cujusdam mendici, cui dulce erat premi turbis hominum, quod diceret illic esse quæstum, ubi esset populus. E. Valeant cæci cum suo quæstu. Nos philosophi sumus. T. Et Socrates philosophus urbes præferebat agris, quod esset discendi cupidus, & urbes haberet unde disceret: in agris esse quidem arbores & hortos, fontes & amnes, qui pascerent oculos, ceterum nihil loquerentur, ac proinde nihil docerent. E. Est nonnihil, quod dicit Socrates, si solus obambules in agris. Quamquam meâ sententiâ, non est muta rerum natura, sed undiquaque loquax est, multâque docet contemplantem, si nacta fuerit hominem attentum & docilem. Quid aliud clamitat illa tam amœna nature vernantis facies, quam opificis DEI sapientiam bonitati parem? Sed Socrates in eo secessu quam multa docet Phadrum suum, ac vicissim ab eo discit? T. Si tales adessent aliquot, nihil esse possit amœnius rusticatione. E. Libet igitur huius rei periculum facere! Est mihi prædium suburbanum non amplum, sed nitidè cultum: eo vos in crastinum diem ad prandium voco.

I

T. Plures

T. Plures sumus. Exederemus totum pradium
 tum. E. Imò totum convivium adponetur herba-
 ceum, ex dapibus, ut inquit (a) Flaccus, inemptis
 apparatus. Vinum ipse locus suppeditat: pepones,
 melones, ficos, pira, mala, nuces, ipsæ pene arbores
 porrigunt: quemadmodum fit in Insulis Fortuna-
 ris, si (b) Luciano credimus. Accedet fortassis è (c)
 corte gallina. T. Agè, non recusamus. E. At suam
 quisque umbram secum adducat, quam volet. Ita,
 cum sitis quatuor, aquabimus numerum Musa-
 rum. Tim. Fiet. E. Unum illud vos pramonito
 volo, sibi quisque condimentum suum adferet. Ego
 cibos duntaxat adponam. Tim. Quod condimen-
 tum narras, piper an succarum? E. Imò aliud uili-
 us, sed suavius. T. Quodnam? E. Famem. Eam
 dabit hodie cæna tenuis, cras acuet stomachum,
 ambulatiuncula. Et hoc quoque commodi ruscule
 meo debebitur. Verum ad quam horam libet pran-
 dere? T. Ad decimam, priusquam infalescat aestus
 solis. E. Curabitur. P. Here, adsent convive
 pro foribus. E. Bona fidei est, quod venistis: sed bis
 gratum est, quod venistis mature una cum umbris
 vestris longe gratissimis. Sunt enim quidam inci-
 viliter civiles, qui (d) convivatorem morâ suâ
 torquent. T. Eo maturius venimus, ut esset otium
 lustrandi visendiq; regiam istam tuam, quam au-
 dimus undiq; miris delitiis variam, nusquam non
 testari domini sui ingenium. E. Regiam spectabitis
 tali dignam rege. Mihi certe nidulus est, quavis
 regia gravior. Et, si regnat, qui libere vivit ex
 animi

animi sui sententiâ, hic planè regno. Sed præstat,
 opinor, interim dum culina præfecta parat holus-
 culum, & adhuc moderatus est solis calor, visere
 hortos nostros. T. Est alius præter hunc? Nam
 hic sanè mire cultus, blandissimo aspectu statim in-
 gredientes salutat, & comiter excipit. E. Hinc igitur
 decerpas? sibi quisq. flosculos ac frondes ali-
 quot, ne quid offendant domus pector. Non idem
 odor æque gratus omnibus. Quare sibi quisque de-
 ligat. Ne parcite. Nam quicquid hic nascitur, penè
 publicum esse patior. Neg, enim unquam clauditur
 ostium huius vestibuli, nisi noctu. T. En tibi in ostio
 Petrus. E. Hunc ego malo janitorem, quam Mer-
 curios, aliâq. portenta, qua quidam pingunt in fo-
 ribus suis. T. Istud homine Christiano dignius est.
 E. Nec mutum habeo janitorem; duabus linguis al-
 loquitur ingredientem. T. Quid loquitur? E.
 Quin ipse legis? T. Intervallum aliquantò longius
 est, quam ut prospectus oculorum adsequatur. E.
 En tibi perspicillum, quod te vel Lynceum reddet.
 T. Latina video. Si vis ad vitam ingredi, serva
 mandata. Matth. capite decimonono. E. Nunc lege
 Græca. Tim. Græca video quidem, at illa non vi-
 dent me: quare (e) lampadem hanc trade Theo-
 philo, qui nunquam non cantillat Græca. (f) pe-
 τρου νότος τε, & ἀντισπίλας τε, &c. πειδέων τῶν τεύχων.
 (g) E. An vobis videtur incomis janitor, qui sta-
 tim monet, ut avertamur a vitiis, & convertamur
 nos ad studium pietatis? Deinde vitam non contin-
 gere ex operibus Moisaicis, sed per fidem evangeli-

cam. Postremò, servandis evangelicis preceptis iter esse ad immortalem vitam. T. Et ecce mox ad dextram ingressus ostendit sacellum perquam elegans. In altari **IESVS CHRISTVS** suspiciens in cœlum ad Patrem & Spiritum sanctum illinc prospicientes, atque eodem dextram porrigens, levâ velut invitât & allectât prætereuntem. E. Nec is elinguis nos excipit: vides Latina; ego sum via, veritas & vita: Græcè; Εγώ εἰμι τὸ α, καὶ τὸ ω (h). T. Lato nimirum omine nos salutavit Dominus Iesus. E. Sed ne videamur inciviles, fortassis par est, ut illum resalutemus, precemurque, ut quando ex nobis ipsi nihil possumus, ille sua inestimabili bonitate non sinat nos unquam aberrare a via salutis; sed abjectis umbris Iudaicis, & huius mundi prestigiis per veritatem evangelicam perducatur nos ad vitam eternam, hoc est, ipse per se trahat nos ad se. T. Aequissimum est, & ipsa loci species invitât ad precandum. E. Multos hospites allicit horti amœnitas, sed ita ferè apud omnes invaluit consuetudo, ut nemo prætereat Iesum insalutatum. Hunc ego vice fœdissimi (i) Priapi custodem posui, non solum horti mei, sed omnium quæ possideo, denique corporis pariter atque animi. Adest, ut videtis, fonticulus saluberrimis aquis non inamœnè scatens, utcunque representans unicum illum fontem, qui cœlesti latice refocillat omnes laborantes & oneratos, & ad quem anhelat anima declassata malis huius mundi, non aliter quàm juxta Psalmistam, cervus aestuans siti, gustatis serpenti-

FAL
tium carnit
fuit. Non
Quidam
sa. Vides
horam
quem in q
quid erit
solis efflu
aliqui. T.
videtur. E.
honeste, pa
cendit anim
herbae nec e
num quida
muta sunt
ali domo
beo, ne qu
dices, non
dignetur, si
in corpore
sui, non ill
tra, sua ma
Iudei fuge
discamus,
T. Nihil
dus vellet
pollicetur
ta gratia to
atq. hinc aq
stirna herb

tium carnibus. Hunc gratis haurire licet, quisquis
 fitit. Nonnulli & religionis gratia sese aspergunt.
 Quidam etiam bibunt, non sitis sed religionis cau-
 sa. Video vos invitos avelli ab hoc loco. Sed interim
 hora monet, ut visamus hunc cultiorem hortum,
 quem in quadrum cingunt muri regie mea. Si
 quid erit visendum intus, à prandio spectabitis, cum
 solis estus nos, veluti cochleas, domi cohibebit horis
 aliquot. T. Papa! (k) Epicureos hortos mihi videre
 videor. E. Totus hic locus voluptati dicatus est, sed
 honeste, pascendis oculis, recreandis naribus, refi-
 ciendis animis. Nihil hic nascitur prater odoratas
 herbas, nec eas quaslibet, sed eximias duntaxat. V-
 numquodque genus suas habet areas. T. Nec herbae
 mutae sunt apud te, quantum video. E. Probe dicis:
 alii domos habent opulentas, ego loquacissimam ha-
 beo, ne quando solus videri possim: id magis etiam
 dices, ubi tota videris. Ut herbae sunt velut in turmas
 digestae, ita singula turmae singula habent vexilla cum
 inscriptione. Velut (l) Amaracus hic, Abstine, inquit,
 sis, non tibi spiro. Quam enim sit suavissima fragran-
 tia, suus tamen hoc odore vehementer offenduntur.
 Inde singula genera habent suos titulos, aliquid in-
 dicantes, quod ad peculiarem eius herbae vim pertinet.
 T. Nihil adhuc vidi hoc foticulo festivius, qui me-
 dius velut arridet herbis omnibus, ac refrigerium illis
 pollicetur adversus aestum. Sed alveolus hic, qui tan-
 ta gratia totam aquam ostendit oculis hominum, hinc
 atque hinc aequis spatiis hortum dirimens, in quo sese
 strinae herbae, velut in speculo, contempleri gestiunt,

num marmoreus est? E. Bona verba, unde huc marmor? è contusis cementis, factitium marmor est; coloris candor additus est (m) incrustamento. T. Quò tandem sese condit tam amabilis rivus? E. Vide incivilitatem humanam. Posteaquam hic satis exhilaravit oculos nostros, proluit culinam, ejusq; sordes secum defert in cloacam. T. Crudele, ita me Deus benè amet. E. Crudele, ni & in hunc usum parasset aeterni numinis benignitas. Tum crudeles sumus, cum fontem divina scriptura longè hoc amceniorē, recreandis simul ac purgandis animis nostris datum, conspurcamus vitiis nostris pravisq; cupiditatibus, abutentes tam ineffabili dono Dei. Nam hac aqua non abutimur, si partimur in varios usus, in quos illam dedit is, qui nihil non assatim suppeditat usibus humanis. T. Verissima sunt quæ narras. sed cur tibi virent etiam horti septa manu facta? E. Ne quid hic non vireat. Quidam rubra malunt, quòd is color additus virentibus gratiam adjungat. Hic mihi magis arridet, ut est sua cuique sententia etiam in hortis. T. Sed horti per se amcenissimi jucunditatem propemodum obscurant ambulacra tria. E. In his vel studeo, vel obambulo, consabulans, vel cibum capio, si videtur. T. Columnæ paribus intervallis sustinentes adificium innitens, mira q; colorum varietate blandientes, suntne marmoreæ? E. Ex eodem marmore, quo factus est hic alveus. T. Lepida profectò impostura: Vel dejerassem esse marmor. E. Quare cavere, ne vel credas, vel dejeres quicquam temere. Non

Non raro fallit species. Quod opibus deest, arte sarcimus. T. Non tibi sat erat hortus tam nitidus, tam excultus, nisi pingeres insuper alios hortos? E. Non capiebat omnes herbarum species unus hortus. Præterea bis delectamur, cum pictum florem cum vivo decertantem videmus, & in altero miramur artificium natura, in altero pictoris ingenium; in utroq; benignitatem Dei, qui in usum nostrum largitur hæc omnia, nulla in re non mirabilis pariter & amabilis. Postremo non semper viret hortus, non semper vivunt flosculi. Hic hortus etiam media bruma viret & ablanditur. T. At non spirat. E. Sed rursum non eger cultura. T. Tantum pascit oculos. E. Verum, sed hoc perpetuo facit. T. Habet suum & pictura senium. E. Habet: nobis tamen est vivacior, & illi ferè gratiam addit ætas, quam nobis detrahit. T. Utinam hic vanus esses. E. In hoc ambulacro, quod spectat Occidentem, sole finor oriente: in hoc, quod spectat Orientem, apricor interdum: in hoc, quod spectat Austrum, sed patet ad Septentrionem, recreor ab æstu solis. Obambulabimus, si videtur, quò spectetis propius. En vernat ipsum etiam solum. Habent enim & tessellæ colorum gratiam, & flosculis pictis adblandiuntur. Hoc nemus, quod videtis hoc toto pariete depictum, exhibet mihi varium spectaculum. Primum, quot videtis arbores, tot videtis arborum genera, singulis ad nativam imaginem non pessimè expressis. Quot cernitis aves, tot videtis avium species, præcipuè si

qua sint rariores, & insigni re quapiã nobiles. Nam anseres, gallinas, & anates quid attinet pingere? Infernè sunt quadrupedum species, aut earum avium, quæ vivunt humi, more quadrupedum. T. Mira varietas, nec quicquam est ociosum. Nihil est, quod non aut agat, aut loquatur aliquid. Quid nobis narrat noctua, penè latitans sub frondibus? E. Atticè loquitur Attica. (n) σωφρονέ, inquit, & παῖσιν ἱππομ. jubet nos consulto agere, quod non omnibus feliciter cedat inconsulta temeritas. Hic aquila dæcepit leporem, frustra obtestante scarabeo. Adstat (o) scarabeo (p) trochilus, & ipse capitalis inimicus aquile. T. Hac hirundo quid gerit ore? E. Herbam. (q) chelidonium. Nam hac restituit pullis ex oculatis visum. Agnoscitis herba figuram. T. Quodnam hoc novum lacerta genus? E. Non lacerta, sed chamaleon. T. Est hic ille longo nomine celebratus chamaleon? belluam esse credidi leone majorem, quem vincit etiam vocabulo. E. Hic ille est semper hians, & semper jejuniis (r) chamaleon. hac arbor est caprificus, apud quam solam sevit, aliàs innoxius. Nam venenum habet, ne contempnas hiantem bestiolam. T. At non mutat colorem. E. Verum, quia non mutat locum: ubi mutavit locum, videbis & colorem alium. T. Quid hic sibi vult tibicen? E. Nonne vides in proximo camelum saltantem? T. Video novum spectaculum: camelus cinctus (s) est stymius choraulis. Sed his singulatim ac per otium, contemplandis aliàs dabitur vel totum triduum; nunc satis erit, veluti per transennam vidisse. In hac

hac regione depictum est ad nativam effigiem quic-
quid est insignium herbarum, quodque jure mire-
mini, hic venena quantumvis presentanea, tuto non
solum spectantur, verum etiam contrectantur. T. En
scorpius, rarum in hisce regionibus malum, sed fre-
quens Italiae. Quanquam color mihi parum respon-
dere videtur in pictura. E. Quis sic? T. Quia magis
nigrent apud Italos: iste pallidior est. E. Annon a-
gnosces herbam, in cujus folium incidit? T. Non sa-
tis. E. Nec mirum. Nec enim nascitur in hortis no-
stratibus. (t) Aconitum est. Ei veneno tanta vis est,
ut scorpius ad hujus contactum stupefeat palle-
scatque, seseq; vinci patiatur; sed offensus veneno, a ve-
neno petat remedium. Videtis in propinquo utrum-
que genus hellebori. Si scorpius potuerit sese expli-
care a folio aconiti, & album helleborum continge-
re, recipiet pristinum vigorem, diversi veneni con-
tactu solvente torporem. T. Actum est igitur de isto
scorpio. Nam is se nunquam explicabit ab aconiti
folio. Etiam loquuntur hic scorpii? E. Et quidem.
Græcè. T. Quid ait? E. *ἔγωγε πέδον τέτυκ' ἀντιγόν.* Hic præ-
ter herbas videtis omne serpentium genus. En vobis
basiliscus, oculis igneis, ipsis et nocentissimis venenis
formidabilis. T. Et is loquitur aliquid. E. Oderint, in-
quit, dum metuant. T. Planè regia vox. E. Imò ni-
hil minus regiū, sed tyrannica vox est. Hic pugnat
lacerta cum vipera. Hic dipsas insidiatur, tecta pu-
tamine ovi Struthiocameli. Hic videtis politiam
totam formicarum, ad quarū imitationem nos vo-
cat Hebraeus ille sapiens, atq; etiam Flaccus noster.

I 5 Hic

Hic videtis formicas Indicas, quæ aurum egerunt ac servant. T. Deum immortalem, cui possit obrepere tadium in hoc theatro versanti? E. Alias, inquam, licebit vel ad satietatem usq³ spectare. Nunc procul tantum spectate tertium parietem. Is habet lacus, amnes, & maria, & in his quicquid est insignium piscium. Hic est Nilus, in quo Delphinum illum videtis, hominum amatorem, cum Crocodilo depugnantem, quo non alius hostis homini capitalior. In ripis ac littoribus videtis ea, quæ sunt ἀμφίβια, vt cancri, phoca, fiber. Hic est polypus captator (x) captus a concha. T. Quid loquitur? (y) ἀπὸ τοῦ αἰσθητικοῦ. Mirè pictor fecit aquam pellucidam. E. Aut hoc erat illi faciendum, aut nobis opus erat aliis oculis. In proximo est alter polypus summa æquoris aqua velificans, liburnicarum (z) gaudens imagine. Videtis torpedinē prostratam in harena concolori, quam hic riuo vel manu contigeris. Sed aliò properandum est. Hæc pascunt oculos, at ventrem non explent: propereamus ad reliqua. T. Etiamne amplius? E. Mox videbitis, quid nobis præbeat posticum. Hic videtis hortum satis spaciosum, in duas divisum partes: in altera est, quicquid est herbarum esculentarū, in qua regnant vxor & famula mea: in altera quicquid est medicarum præsertim insignium. Ad levam est pratum liberum, præter virorem graminum nihil habens: septum est sepe perpetua & spinis implexis sed vivis contexta. Illic nonnunquam vel ambulo, vel lusingo cum sodalibus. Ad dexteram

dexteram est pomarium, in quo, cum erit otium, videbitis plurimas arbores peregrinas, quas paulatim doceo nostro cœlo assuescere. T. Pape! ne tu vincis vel ipsum Alcinoum. E. Hic aviariū est, in confinio adharens ambulacro superiori, quod videbitis à prandio. videbitis formas varias, variasq; linguas audietis. Nec minus varia sunt ingenia. Inter quasdam cognatio est & mutui amor, inter nonnullas similitas irreconciliabilis. Sunt autem omnes adeo cicures & mansuete, ut, si quando cœno illic aperta fenestra, devolent in mensam, cibumq; vel è manibus capiant. Si quando ingredior in ponticulo pensili, quem videtis, fabulans cum amico, assident, auscultant, insident humeris aut brachiis. adeo dediticerunt timere, quia sentiunt neminem ledere. In extremo pomario, apum (aa) regnum est. Nec illud sanè spectaculum inamœnum. In presentia non sinam vos amplius contemplari, quo sit quod vos posthac revocet tanquam ad novum spectaculum. A prandio cetera vobis ostendam.

P. Vxor & famula clamitant corrumpi prandium. E. Iubeto, illas esse equanimes: nos jam accurremus. Lavemus amici, ut puris manibus & animis ad mensam accedamus. Etenim si ethnicis quoq; religiosa erat mensa, quanto magis oportet esse sacram Christianis, quibus habet imaginem quandam illius sacrosancti convivii, quod dominus Jesus postremum egit cum suis discipulis. Et ob id receptum est, abluere manus, ut si quid odii, livoris

livoris aut turpitudinis alicui forsitan resideat in animo, id deiciat, antequam accedat ad cibum capiendum. Sic enim opinor & corpori salubriores esse cibos, si sumantur animo defecato. T. Istud verissimum esse credimus. E. Quoniam hoc exemplum nobis ab ipso Christo traditum est, ut ab (bb) hymno cibum auspicaremur (nam id arbitror, quod frequenter in Evangelio legimus illum benedixisse, aut gratias egisse patri, priusquam cibum frangeret) & rursum hymno finiremus; si videtur, recitabo vobis hymnum, quem divus Chrysostomus miris laudibus predicat in homilia quadam, dignatus etiam interpretari. T. Imo, ut velis, rogamus. E. Benedictus Deus, qui me pascis a juventute mea, qui cibum prebes omni carni, reple letitia & gaudio corda nostra, ut affatim, quod satis est habentes, abundemus in omne opus bonum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo tibi gloria, honor & imperium cum sancto spiritu in omne ævū. T. Amen.

E. Nunc accumbite, ac suam quisque umbram sibi adjungat. Canicie tua debetur primus locus, Timothee. T. Verbo dignitatem universam meam complexus es. Hoc solo nomine sum ceteris anteposendus. E. Ceterarum dotum estimator est Deus: nos ea sequimur quæ videmus. (cc) Sophroni, adhære corpori tuo. Tu Theophile & Eulasti, dextrum mensæ latus occupate. Chrysogottus & Theodidactus occupabunt levum. Vranius & Nephalius, quod superest. Ego hunc angulum tuebor. T. Non patiemur: hospiti debetur primus locus. E. Tota domus hac

mus hac mea est, simulq; vestra: quod si mihi per-
mittitur jus in regno meo, is locus debetur hospiti,
quemcunque sibi delegerit. Nunc utinam Christus
ille exhilarator omnium, & sine quo nihil verè sua-
ve est, dignetur huic nostro interesse convivio, sua-
que praesentia exhilarare animos nostros. T. Spero
dignabitur. Sed ubi sedebit, jam omnibus locis oc-
cupatis? Euf. Utinam ille se misceat omnibus &
patinis & poculis, ut nihil illum non sapiat, sed po-
tissimum illabatur animis nostris. Id quo magis
dignetur, & nos tanti hospitis reddamur capaci-
ores, si molestum non est, auscultabitis paululum
è sacra lectione, sed ita, ut interim nihilo secus ad-
moveatis manus ovīs & lactucis, si libet. T. Id fa-
ciemus libenter: sed auscultabimus libentius. Euf.
Is mos mihi multis nominibus videtur amplecten-
dus: quod hac ratione vitentur inanes fabulae, prae-
beaturq; materia confabulationis frugifera. Mul-
tum enim ab illis dissentio, qui putant non esse le-
tum convivium, nisi, quod scateat ineptis ac lasci-
vis fabulis, quod perstrepat obscenis cantiuncu-
lis. Vera hilaritas nascitur è pura sinceraque con-
scientia: atque hi sermones verè lati sunt, quos
semper & dixisse juvet, & audisse, & semper de-
lectet meminisse: non quorum mox pudeat, qui-
que conscientiam poenitudine discrucient. T. U-
tinam ista tam perpenderemus omnes, quàm sunt
vera. Euseb. Hac prater quàm quod certam
& insignem habent utilitatem, etiam jucunda
sunt, ubi vel mensem unum assueveris.

Tim.

T. Nihil igitur consultius, quam optimis assuescere. E. Recita puer distincte & clare.

prov. 21. P. Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu
x. 1. 2. 3. Domini; quocumque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur; appendit autem corda Dominus. Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quam victimae. E. Sit hoc
satis. Praestat enim pauca avidè discere, quam multa cum tedio devorare. T. Praestat sane, sed non hic tantum. Plinius scripsit, Officia Ciceronis nunquam de manibus deponenda: & sunt sane digna, quae cum ab omnibus, tum praecipue ab iis, qui destinati sunt administrande Reip. ad verbum ediscantur, mea quidem sententia: sed hunc proverbiorum libellum semper dignum arbitratum sum, qui semper à nobis circumferatur. E. Quomodo sciebam prandium fore dilutum & insipidum, idcirco hanc procuravi nobis condituram. T. Nihil hic est non latissimum, & tamen, si nihil esset praeter (d) betas, absque pipere, vino & aceto, talis lectio condiret omnia. E. Mihi tamen plus adderet gratiae, si, quod audio, penitus intelligam. Atque utinam esset aliquis verè Theologus, qui ista non intelligeret solum, verum etiam sciret. Nobis idiotis nescio an fas sit hisce de rebus confabulari? T. Ego verò puto vel nantis esse fas, modo absit definiendi temeritas. Fortasse & Christus, qui pollicitus est sese adfuturum, ubicumque duo convenirent de ipso tractantes, aspirabit nobis tam multis. E. Quid si igitur partiamur inter nos novem, tres sententias

sententias? C. Non displicet, modo à convivatore
 incipiat ordo. E. Non detreclarem provinciam.
 sed vercor, ne hic vos pejus accipiam, quam cibis
 accipio. Agè, necubi videar difficilis convivator,
 ommissis variis coniecturis, quæ in hunc locum con-
 gerunt interpretes, mihi videtur hic esse sensus mor-
 talis. Alios mortales posse flecti monitis, increpationi-
 bus, legibus ac minis: Regis animum, quoniam
 neminem metuit, si repugnes, magis irritari. Et
 idcirco, quoties principes vehementer contendunt
 aliquid, suo animo relinquendos; non quod semper
 velint optima, sed quod illorum stultitia malitia-
 ve Deus nonnunquam abutatur, ad emendandos
 eos, qui deliquerunt: quemadmodum vetuit resi-
 sti Nabuchodonosori, quod illius ministerio de-
 crevisset castigare populum suum. Fortassis illud
 est, quod ait Iob: Qui regnare facit hominem hy- c. 34. 30.
 pocritam propter peccata populi. Atq; huc fortasse
 pertinet, quod ait David, deplorans peccatum su-
 um: Tibi soli peccavi, & malum coram te feci:
 Non quod reges non peccent ingenti populi malo,
 sed quod non habeant hominem, cujus autoritate
 cõdemnentur, cum Dei iudicium nemo, quamlibet
 potens, possit effugere. T. Non displicet interpreta-
 tio. Sed quid sibi volunt divisiones aquarum? E.
 Adhibita est similitudo, qua rem explanet. Pio-
 lenta res & impotens est (ee) regis animus concita-
 tus, nec huc aut illuc duci potest, sed impetu suo
 fertur veluti (ff) astro divino percitus: quemad-
 modum mare sese spargit in terras, ac subinde cur-
 sum

sum mutat, contemptis agris, edificiis, & quicquid obstat; alicubi sese condit sub terras; cuius impetum si coneris inhibere aut alio deflectere, nihil agas. Idem accidit in magnis fluminibus, velut fabule quoque narrant (gg) Acheloo. Minus autem mali capitur, si commode obsecundes, quam si violenter repugnes. T. Nihil igitur remedii adversus malorum regum impotentiam? Euf. Fortasse primum fuerit, leonem in civitatem non recipere: proximum, sic autoritate senatus, magistratum, ac civium moderari potentiam illius, ut non facile erumpat in tyrannidem: Sed omnium potissimum, dum adhuc puer est, & se principem esse nescit, sanctis praeceptis formare pectus illius. Pro sunt & preces ac monita, sed blanda ac tempesteria. Exrema anchora (hh) est, votis fatigare Deum, ut regis animum inclinet ad ea, quae Christiano rege digna sunt. Th. Quid ais, idiota? Si Baccalaureus essem Theologiae, minime puderet istius interpretationis. Euf. An vera sit, nescio. mihi satis est, quod sensu non sit impius, aut hereticus. Morem gessi voluntari vestrae. Nunc, ut decet in convivio, vicissim audire cupio. Tim. Si quid desertis his quoque canis, mihi videtur hoc dictum & ad abstrusorem sententiam accommodari posse. Euf. Credo & audire cupio. T. Rex intelligi potest vir perfectus, qui domitis carnis affectibus solo divini spiritus impetu ducitur. Porro, qui sit huiusmodi, hunc non convenit fortassis humanis legibus in ordinem cogere, sed suo Domino, cuius spiritum agitur, relinquendus est: nec

FAM
necindica
tuo impo
prietem
cum Paul
suo stat au
minia agn
Tallom
qui prece
bet cor su
luerit, obli
berali, qui
exequit
idem boni
quem certis
afflatu rob
solum can
bus erudi
inter Chri
gos, huius
cognomine
leribus pr
quod fage
hac obvia
vel supplic
niam affe
in prima se
narrat alter
securior. So
dixero, fidele
qui fieri poge

nec indicandus est ex hisce rebus, quibus imbecillitas imperfectorum ut cunq; provehitur ad veram pietatem, sed si quid secus facit, dicendum est, cum Paulo; Dominus assumpsit illum: Domino suo stat aut cadit. Item illud; Spiritualis homo omnia dijudicat, ipse verò à nemine indicatur. Talibus igitur nemo prescribat; sed Dominus, qui prescripsit terminos mari & amnibus, habet cor sui regis in manu sua, & quocunque voluerit, inspicit illud. Quid enim opus est prescribere illi, qui suapte sponte præstat meliora, quàm exigunt humana leges? aut, quæ temeritas sit, illum hominem constitutionibus adstringere, quem certis argumentis constat divini spiritus afflatu gubernari? Eus. Tu verò Timothee non solum canos habes capillos, sed pectus etiam habes eruditionis canicie venerabile. Atq; utinam inter Christianos, quos omnes oportebat esse reges, huiusmodi plures reperirentur hoc digni cognomine. Sed iam satis est (ii) ovatum, & holieribus prælusum. Iubete hæc tolli, & apponi, quod superest. T. Nobis affatim satisfactum est hac oratione: etiamsi nihil præterea successerit vel supplicationis vel triumphi. Eus. Verum, quoniam aspirante Christo, sicut opinor, successit res in prima sententia, velim ut umbra tua nobis enarret alteram, quæ mihi videtur aliquanto obscurior. S. Si boni velletis consulere quicquid dixerò, sedulò dicam, quod mihi videtur. Alioquin quæ fieri potest, ut rebus obscuris lucem adferat

K

umbra?

umbra? Eus. Equidem recipio futurum omnium nomine: & tales umbrae lucem suam habent aptiorem oculis nostris. So. Idem docere videtur, quod Paulus: Diversis vite rationibus contenditur ad pietatem: alii placet sacerdotium, alii cœlibatus, alii coniugium, alii (kk) secessus, alii respub. pro varietate corporum & ingeniorum. Rursus alius vescitur quibuslibet, alius distinguit inter cibum & cibum, alius indicat inter diem & diem, alius indicat omnem diem. In his Paulus vult unumquemque suo fini affectu, citra contumeliam alterius. Nec oportet quemquam ex huiusmodi indicare, sed iudicium deferre Deo, qui expendit corda. Fit enim sepe numero, ut vescens gravior sit Deo, quàm non vescens, & diem festum violans acceptior sit Deo, quàm is, qui videtur observare, & matrimonium huius gratius sit oculis Dei, quàm multorum cœlibatus. Dixi umbra. Eus. Utinam mihi sepe contingat, cum talibus umbris colloqui. Rem, ni fallor, non acu, quod aiunt, sed lingua tetigisti. Sed adest, qui cœlebs vixit, non de numero beatorum, qui se castrarunt propter regnum Dei: sed hic castratus est vi, quò magis placeret ventri, donec & hunc & escas destruxerit Deus. Capus est ex corte nostra. Elix magis delector. Ius est non inelegans, quod in eo natat, lactuca sunt selectissima. Sumat sibi quisque quod gratum est animo. Sed, ne quid vos fallam, succedit huic assini non nihil, mox bellaria, deinde fabula catastrophe. TIM. Sed interim excludimus uxorem è conui-

FAL
conui-
accu-
mua per
mulieru
pericul-
craticen
gis plac-
longum p
mota me
ina mem-
bus plac-
mure non
mine nob-
enim mib-
tum put-
aridea
rem obri-
nostro vi-
mus, cel-
tet forme-
sed inter-
& iam mib-
philu. T
dicam tan-
cum grat-
nem me-
sententia
prophetas
sacrisum
fia: Conui-

convivio. Eus. Vbi vos venietis comitati vestris; accumbet & mea. Nunc quid aliud esset, quàm (II) muta persona: & illa suavius garrat mulier inter mulieres, & nos liberius philosophamur. Alioquin periculum sit, ne nobis accidat, quod accidit Socrati: cui cum essent convivæ philosophi, quibus magis placebant huiusmodi fabulæ, quàm cibus, & in longum proferretur disputatio, Xantippe commota mensam subvertit. TIM. Nihil minus à tua metuendum arbitror. Est enim mulier moribus placidissimis. Eus. Mihi certè talis, ut commutare non cupiam, etiamsi liceat, atque hoc nomine mihi vel præcipuè videor fortunatus. Nec enim mihi placet eorum sententia, qui fortunatum putant, uxorem habuisse nunquam: magis arridet, quod ait sapiens Hebræus, ei bonam sortem obtigisse, cui obtigit uxor bona. TIM. Sæpe nostro vitio male sunt uxores, vel quia tales deligimus, vel quia tales reddimus, vel quia non, ut oportet, formamus & instituimus. Eus. Vera prædicas: sed interim expecto tertia sententiæ enarrationem, & iā mihi dicturire videtur (mm) de beatorum Theophilus. THE. Imò mihi, animus erat in patinis: dicam tamen, quando licet impunè. Eus. Etiam cum gratia licebit errare: vel sic præbebis occasionem inveniendi. THE. Mihi videtur eadem sententia, quam protulit Dominus apud Oseam prophetam, cap. VI. f. Misericordiam volo, & non sacrificium, & scientiam Dei plus quàm holocausta: Cuius vivus & efficax interpretes est Dominus

Iesus in Evangelio Matth. cap. IX. Cum enim convivium ageret in domo Levi, qui erat publicanus, ieq[ue] multos sui ordinis sui[us], quæstus homines invitasset ad convivium; Pharisei (qui timebant religionem legis, quum ea præcepta negligerent, unde tota lex pendebat & propheta) quò discipulorum animos alienarent à Iesu, rogabant illos, quid Dominus admisceret se convivio peccatorum, à quorum consortio abstinebant Iudei, qui volebant haberi sanctiores, & si quando contigisset cum eiusmodi congregari, reversi domum abluiebant corpus. Cumq[ue] discipuli, rudes adhuc, non haberent quod responderent, Dominus & pro se, & pro discipulis respondit: Non est opus (inquit) medico valentibus, sed malè habentibus. Euntibus autem discite, quid est, Misericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores. Eus. Pulcrè tu quidem collatione locorum rem explicas, id quod in divinis literis præcipuum est, sed discere velim, quid appellet sacrificium, quid misericordiam. Nam qui consistit, ut aversetur sacrificia Deus, quæ sibi tot præceptis iusserat exhiberi? THE. Quomodo Deus aversetur sacrificia, docet ipse apud Esa. cap. I. Sunt enim quedam præscripta Iudeis in lege, quæ significant magis sanctimoniam, quàm præstant: quod genus sunt dies festi, sabbatismi, ieiunia, sacrificia. Et sunt, quæ semper præstanda sunt, quæ suapte naturâ bona sunt, non quia iussa. Iudeos autem averfatur Deus, non quod observarent legis ritus, sed quòd his stultè tumi-

re iumidi, negligerent ea, quæ Deus maxime vult præstari à nobis, ac madentes avaritiâ, superbiâ, rapinis, odio, livore, ceterisque vitiiis, existimabant, Deum ipsis multum debere, quòd diebus festis versarentur in templo, quòd immolarent victimas, quòd abstinerent à cibis vetitis, quòd illi nonnunquam ieiunarent: umbras amplectebantur, rem neglegebant. Quod autem ait; Misericordiam volo, & non sacrificium; opinor ex idiomate sermonis Hebraei dictum, pro eo, quod erat, misericordiam volo potius, quàm sacrificium, quemadmodum illud interpretatur Salomon, cum ait; Facere misericordiam & iudicium, magis placet Domino, quàm victimæ. Porro omne officium, quod impenditur sublevando proximo, scriptura misericordiam vocat, & eleemosynam, quæ & ipsa nomen duxit à miserendo. Victimæ appellari puto, quicquid pertinet ad ceremonias corporales, & aliquid habet ad finem cum Iudaismo: quod genus sunt, delectus ciborum, vestitus prescriptus, ieiunium, sacrificium, preces veluti pensum absolutæ, quies diei festi. Hæc enim ut pro tempore non sunt omnino negligenda, ita Deo sunt ingrata, si quis observationibus huiusmodi confusus, negligat misericordiam, quoties fratris necessitas exigit officium charitatis. Habet speciem sanctimonie etiam, colloquia vitare malorum. Sed hoc cessare debet, quoties aliud suadet charitas proximi. Obedientia est, quiescere diebus festis: sed impium sit, ob (nn) religionem diei sinere fratrem perire. Itaque serva-

re diem Dominicum, victima est, ut ita loquar: reconciliari fratri, misericordia est. Porro iudicium, quanquam potest ad potentes referri, qui frequenter vi opprimunt imbecilles: tamen mihi videtur non absurdum, si respondeat illi, quod est apud Oseam: Et scientia Dei plus quam holocausta. Non servat legem, qui non servat iuxta mentem Dei. Iudei sublevabant a sinum, in foveam collapsum sabbatis, & Christum calumniabantur, qui servaret totum hominem in sabbato. Hic erat preposterum iudicium, & aberat scientia Dei. Nesciebant enim, quod ista propter hominem essent instituta, non homo propter illa. Sed hæc impudenter dicere viderer, nisi vestro iussu dicerem. Malim ex aliis rectiora discere. Eus. Ista mihi videntur adeo dicta impudenter, ut existimem Dominum ipsum loqui per organum oris tui.

Sed interim, dum largiter pascimus animos nostros, ne negligentur collega. THE. Quinam? Eus. Corpora nostra, nonne collega sunt animorum? Hoc enim malim, quam instrumenta, vel domicilia, vel sepulchra. TIM. Hoc nimirum est affatim refici, ubi totus homo reficitur. Eus. Video vos segniter attingere. Quare, si videtur, iubeo proferri assa, ne pro lauto convivio longum prebeam. Videtis huius prandioli summam. Armus est ovillus, sed exquisitus: capus, & perdices quatuor. Has solas à mercatu sumpsi, reliqua suppeditat hoc prediolum. TIM. Epicureum prandium video, ne dicam (oo) Sybariticum. Eus. Imò vix

vix Carmeliticum. Sed quale quale est, boni consuletis. Animus certe purus est, si parum lautum est convivium. TIM. Adeo non est muta tua domus, ut non solum parietes, sed & cyathus loquatur aliquid. Eus. Quid tibi loquitur? TIM. Nemo nisi à seipso leditur. Eus. Cyathus patrocinator vino. Nam vulgus febrim, aut capitis gravedinem è potu contractam, imputare solet vino, quum ipsi sibi malum accerserint immodicè bibendo. SOP. Meus græcè loquitur (pp) ἐς οἶνον ἀλύθεια. Eus. Admonet, non esse tutum sacerdotibus, aut regum famulis, indulgere vino, quod virum ferè transferat in linguam, quicquid latebat in corde. SOPH. Apud Aegyptios olim nefas erat sacerdotibus bibere vinum, quum nondum illis mortales sua committerent arcana. Eus. Nunc licet quidem omnibus bibere vinum: an expediat, nescio.

Eulali, quid libelli profers è crumena? Perquam elegans videtur. Nam foris etiam totus aureus est. EUL. Sed idem intus plus quàm gemmeus est. Sunt epistolæ Paulinæ, quas, ut unicas delicias meas, semper mecum circumfero: quas ideò profero, quod ex occasione sermonis tui venit in mentem locus quidam, qui me nuper diu torsit, nec adhuc satis sibi facit animus. Is est in epistolæ prioris ad Corinthios cap VI. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestatem. Primum si Stoicus credimus, nihil est utile, quod non idem honestum. Quomodo igitur Paulus distinguit id, quod licet,

ab eo, quod expedit? Certè scortari, aut inebriari non licet: quomodo igitur licent omnia? quod si Paulus de certo genere rerum loquitur, quarum omnium vult esse licentiam, nō possum satis ex ipso loci tenore divinare, quodnam sit illud genus. Ex iis, quæ mox huic loco subiiciuntur, coniecere licet, eum loqui de ciborum delectu. Quidam enim abstinebant ab (qq) idolothytis, quidam à cibis per Moysen interdictis. Et de idolothytis agit cap. VIII. Rursus cap. X. velut explicans huius loci sententiam, ait: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed non omnia edificant: Nemo, quod suum est, querat, sed quod alterius: Omne quod in macello venit, manducate. Hoc, quod hic subiicit Paulus, congruere videtur cum eo, quod supra dixerat: Esca ventri, & venter escis; & hunc & has destruet Deus. Quod autem respexerit hic etiam ad Judaicum ciborum delectum, indicat clausula decimi capitis: Sine offensione estote Judeis, & gentibus, & Ecclesie Dei, sicut & ego per omnia omnibus placeo, nō querens, quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant. Nam quod ait, Gentibus pertinere videtur ad idolothytum: quod ait, Judeis, referri videtur ad delectum ciborum: quod ait, Ecclesie Dei pertinet ad infirmos ex utraq; gēte collectos. Licebat igitur vesci quibuslibet cibis, & omnia munda mundis. Verū incidit casus, ut non expediat. Quod omnia licebant, libertatis erat Evangelice: sed charitas ubiq; spectat, quid conducatur ad salutem proximi: eoq; frequenter abstinet & à licitis, malens obse-

obsecundare commodo proximi, quàm suâ uti libertate. Sed hic mihi geminus obstrepat scrupulus: primum, quod in sermonis contextu nihil precedat aut sequatur, quod cum hoc sensu cohereat. Nam oburgarat Corinthios, quod essent seditiosi, quod scortationibus, adulteriis, atq; etiam incestis impuri, quod litigarent apud iudices impios. Cum his qui coheret. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt? Et in his quæ sequuntur, redit ad causam impudicitie, quam repetierat & ante, intermisso negotio litium. Corpus autem, inquit, non fornicationi: sed Domino, & Dominus corpori. Verum hunc quoq; scrupulum possum utcumq; discutere, quod paulo superius in catalogo vitiorum meminisset & idololatria. Nolite errare, neq; fornicari, neq; idolis servientes, neque adulteri. Porro esus idolothyrorum vergebat ad speciem idololatriæ. Et itæo mox subdit, Esca ventri, & venter escis: significans pro necessitate corporis, pro tempore, licere vesci quibuslibet, nisi aliud suaserit charitas proximi, sed impudiciam semper & ubique detestandam esse. Quod vescimur, necessitatis est, quæ tollitur in resurrectione mortuorum. Quod libidinamur, malitiæ est. Sed alterum scrupulum non queo dissolvere, quomodo adhuc quadret illud: sed ego sub nullius redigar potestatem. Ait enim sibi potestatem esse omnium, se tamen in nullius potestate fore. Si is dicitur esse in potestate aliena, qui, ne offendar, abstinet, idem cap. IX. de se prædicat. Quum liber essem ab omnibus, omnium me

servum feci, ut omnes lucrificerem. Hoc, opinor, offensus scrupulo Sanctus Ambrosius putat hunc esse germanum Apostoli sensum, ut viam praeferuat illi, quod ait cap. IX sibi quoque potestatem esse faciendi, quod ceteri faciebant, vel Apostoli, vel pseudoapostoli, sumendi victum ab his, quibus predicabat Evangelium. Sed ab hoc, tametsi licebat, temperabat, quod sic expediret Corinthiis, quos de tam multis, & insignibus vitiis obiurgabat. Porro quisquis accipit, fit quodammodo obnoxius ei à quo accipit, & aliquid decedit de vigore autoritatis. Siquidem qui accipit, minus libere obiurgat, & qui dedit, non perinde fert obiurgari ab eo, cui benefecit. In hoc igitur Paulus abstinnit ab iis quae licebant, ut consuleret Apostolica libertati, quam in hoc volebat nulli esse obnoxiam, ut liberius ac maiore cum autoritate reprehenderet illorum vitia. *Mibi sanè non displicet Ambrosiana sententia. Attamen si quis mallet hunc locum ad cibos accommodare, meam sententiam, quod ait Paulus; Sed ego sub nullius redigar potestatem: sic accipi posset: tametsi nonnunquam abstinentiam à cibis immolatis, aut lege Mosaicâ vetitis, ut consulam saluti proximi ac profectui Evangelico: tamen animus meus liber est: qui scit sibi licere vesci cibis quibuslibet, pro necessitate corpusculi. At Pseudoapostoli conabantur hoc persuadere, quosdam cibos per se impuros esse, nec abstinentum per occasionem, sed semper ab his temperandum tanquam naturam malis, nec aliter,*
quam

quàm abstinere
quibus erat
potestatem
re. Solus, q
fuit sententia
Licet videret
modica. Nam
sensu quam
videtur hanc
torquent: v
li eximere. E
mori. Qui sic
habet alio, qu
bitationem t
est Paulus
decrevit ag
devolvitur.
CHR. N
avocem a cap
tam sacra co
fuit autem
quod bodie
etavit. E us
quid pium
cris quidem
tas, sed tamen
vel dicta ve
poetis, tam ca
hi non possunt
illa scriberent

quàm abstinemus ab homicidio & adulterio. Hoc quibus erat persuasum, redacti erant sub alienam potestatem, & exciderant ab evangelica libertate. Solus, quod quidem meminerim, Theophylactus sententiam inducit ab his omnibus diversam: Licet vesci quibulibet cibis, sed non expedit immodicè. Nam ex luxu nascitur impudicitia. Hic sensus quamquam impius non est: tamen mihi non videtur huius loci germanus esse. Ostendi, quæ me torqueant: vestrae charitatis erit me ex his scrupulis eximere. Eus. Ne te probè tuo respondes nomini. Qui sic novit proponere quæstiones, non opus habet alio, qui dissolvat. Sic enim proposuisti dubitationem tuam, ut ego dubitare desierim. Tamen si Paulus in ea epistola, quoniam multa simul decrevit agere, sæpe ab uno argumento in aliud devolvitur, & rursum, quod intermiserat, repetit.

CHR. Nisi vererer, ne vos mea loquacitate avocem à capiendo cibo, & si crederem, fas esse, tam sacris colloquiis admiscere quicquam ex profanis authoribus, proponerem & ipse quiddam, quod hodie legentem me non torset, sed unice delectavit. Eus. Imò profanum dici non debet, quicquid pium est: & ad bonos mores conducens. Sacris quidem literis ubiq; prima debetur auctoritas, sed tamen ego nonnunquam offendo quadam vel dicta à veteribus vel scripta ab ethnicis, etiam poetis, tam castè, tam sanctè, tam divinitus, ut mihi non possim persuadere, quin pectus illorum, cum illa scriberent, numen aliquod bonum agitaverit

Et

Et fortasse latius se fundit spiritus Christi, quam nos interpretamur: & multi sunt in consortio sanctorum, qui non sunt apud nos in Catalogo. Fateor affectum meum apud amicos: non possum legere libram Ciceronis de senectute, de amicitia, de officiis, de Tusculanis questionibus quin aliquoties ex osculer codicem, ac venerer sanctum illud pectus, adflatum cœlesti numine. Contra, cum hos quosdam recentiores lego, de repub. & economica, aut ethica præcipientes, Deum immortalem, quam frigent præ illis: imò quam non videntur sentire, quod scribunt: ut ego citius patiar perire totum Scotum cum aliquot sui similibus, quam libros unius Ciceronis aut Plutarchi: non quòd illos in totum damnem: sed quòd ex his sentiam mercedi meliorem, cum ex illorum lectione surgam, nescio quomodo frigidius adfectus erga veram virtutem, sed irritatior ad contentionem. Quare, ne verere, quicquid istud est, proponere. CHR. Cum plerique libri M. Tullii, quos scripsit de philosophia, divinitatis quiddam spirare videntur, tum ille, quem senex scripsit de senectute, planè mihi videtur, (ττ) κόνειον ἀστυα, quemadmodum Græcis est in proverbio. Eum hodie relegi, atq; hæc verba, quoniam præ ceteris arridebant, edidici: Quod si quis Deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recusem: nec verò velim, quasi decurso spatio, à calce ad (H) carcera revocari. Quid enim habet hæc vita commodi, quid non potius laboris? Sed non habeat sanè, habet certè sa-

tè tamen aut
eum mihi d
Hi sepe f
ita vixit
ex vita ista
quam è dom
forium nob
rum illam d
lium, cetum
colluvione d
mine Christi
essent calce
erit vixit d
loquim, ex
aliquis cau
CHR. H
tribuat
Ciceroni
cogitatione
gras parit
dem arbitri
dem, tunc
Nec enim
Catonem f
rum manu
est, in hoc
memoria re
hominum. T
quod narrat
tem, se recit

tè tamen aut satietatem, aut molestiam. Non libet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & hi docti sæpè fecerunt. Nec me vixisse pœnitet, quoniam ita vixi, ut frustra me natum non existimem. Et ex vita ista descendo, tanquam ex hospitio, non tanquam è domo. Commorandi enim natura diversorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum illum diem, cum ad illud animorum concilium, cœtumq; proficiscar, & cum ex hac turba & colluvione discedam. Hactenus Caro. Quid ab homine Christiano dici potuit sanctius? Utinam talia essent colloquia Monachorum omnia, vel cum sacris virginibus, quale fuit illud Ethnicis senis colloquium, cum Ethnicis adolescentibus. Eus. Jam aliquis causabitur colloquium esse confectum à Cic. CHR. Istud mea non magni refert siue hoc laudis tribuatur Catoni, qui talia senserit dixeritq; siue Ciceroni, cuius animus sententias tam divinas cogitatione complexus sit, cuius calamus res egregias pari facundia depinxerit. Quanquam equidem arbitror, & Catonem, etiamsi non dixit eadem, tamen similia dicere solitum in colloquiis. Nec enim tam impudens erat M. Tullius, ut alium Catonem finxerit, quam fuerit, & in dialogo parum meminerit decori, quod in primis spectandum est, in hoc scripti genere, præsertim cum eius viri memoria recens adhuc hæreret animis eius ætatis hominum. THE. Vehementer probabile est, quod narras: sed dicam quid mihi venerit in mentem, te recitante. Sæpenumerò mecum admiratus sum.

sum, cum omnes optent longe vitatem, & mortem
exhorreant, tamen vix quenguam comperi^{am}
felicem, non dico senem, sed provecioris etatis ho-
minem, qui rogatus, An si detur, velit repuera-
scere, usus per omnia iisdem bonis ac malis, que
illi iam contigissent in vita, responderit idem, quod
Cato dicit, presertim si recolat animo, quicquid
annis retroactis, seu triste, seu letum, obtigisset.
Nam frequenter & suavium rerum recordatio,
vel cum pudore, vel cum conscientie molestia con-
iuncta est, ut animus ab his etiam recolendis non
minus abhorreat, quam a tristicibus. Id opinor no-
bis indicarunt sapientissimi poete, qui scribunt,
tum demum animas capi desiderio corporum reli-
etorum, posteaquam ex amne Lethæo longa bibe-
runt oblivia. URAN. Est istud profecto dignum
admiratione, & mihi quoque compertum in non-
nullis. Verum illud quam mihi blandiebatur. Nec
me vixisse poenitet. At quotuquisque Christianorum
sic moderatur vitam suam, ut huius senis vocem
sibi possit usurpare? Vulgus hominum existimat,
se non frustra vixisse, si per fas nefasque congestas di-
vitiis reliquant morientes. At Cato ideo non pu-
tat se frustra natum, quod integrum ac sanctum
civem presterit reipub. quod incorruptum ma-
gistratum, quod posteritati quoque virtutis & in-
dustrie sue monimenta reliquerit. Jam illo quid
dici potuit divinius? Discedo tanquam ex hospi-
tio, non tanquam e domo. Hospitio tantisper uti
licet, donec hospes inbeat exire. E domo sua nullus
facile

facile pellitur. Et tamen hinc quoque sepe numero
 propellit vel ruina, vel incendium, vel alius casus
 quispiam. Ut horum nihil accadat, tamen senio col-
 l'bens edificium, admonet esse demigrandum.
 NE. Non minus elegans est, quod apud Platonem
 loquitur Socrates, animam humanam, in hoc cor-
 pore, velut in presidio, positam esse, unde fas non
 sit decedere in iussu Imperatoris, nec diutius in co-
 immorari quàm visum sit ei, qui collocavit. Illud
 significantius est in Platone, quod pro Domo dixe-
 rit presidium: siquidem in domo tantum commo-
 ramur, in presidio destinati sumus functioni, quam
 nobis delegavit Imperator noster: non abludens à
 nostris literis, quæ vitam hominis nunc militiam,
 nunc certamen esse dicunt. URAN. At mihi qui-
 dem oratio Catonis pulchrè congruere videtur
 cum oratione Pauli, qui scribens Corinthiis, Cœ-
 lestem mansionem, quam expectamus post hanc
 vitam, οἰκίαν vocat οἰκάνθησιν, hoc est, domum
 sive domicilium. Ceterum hoc corpusculum ap-
 pellat tabernaculum Græcè σκηνή. Nam & qui
 sumus, inquit, in hoc tabernaculo, ingemiscimus
 gravati. NE. Nec abludit a sermone Petri. In-
 stum autem, inquit, arbitror, quamdiu sum in hoc
 tabernaculo, suscitare vos in commonitione, cer-
 tus quod velox est depositio tabernaculi mei.
 Quid igitur aliud clamat nobis Christus, quàm ut
 sic vivamus ac vigilemus, tanquam illico mori-
 turi, sic incumbamus honestis rebus, tanquam sem-
 per victuri? Jam illud cum audimus: O præclarum
 diem

diem: nonne videmur audire Paulum ipsum loquentem: Cupio dissolvi, & esse cum Christo? CHR. Quam felices sunt, qui tali animo mori expectant. Sed in oratione Catonis, quamquam praeclara est, tamen fiduciam aliquis taxare posset, ut ab arrogantia profectam, quam multum oportet abesse ab homine Christiano. Proinde mihi nihil unquam legisse videor apud Ethnicos, quod aptius quadrat in hominem verè Christianum, quam quod Socrates paulò post bibiturus cicutam dixit Critoni: An opera, inquit, nostra sit probaturus Deus, nescio: certè sedulo conati sumus, ut illi placeremus. Est mihi tamen bona spes, quòd ille conatus nostros sit boni consulturus. Vir ille sic diffidit factis suis, ut tamen, ob animi propensam voluntatem obtemperandi voluntati divinae, bonam spem conceperit fore, ut Deus pro sua bonitate boni consulturus esset, quòd studuisset benè vivere. NE. Profectò mirandus animus in eo, qui Christum ac sacras literas non noverat. Proinde, cum huiusmodi quedam lego de talibus viris, vix mihi tempero quin dicam: Sancte Socrates, ora pro nobis. CHR. At ipsi mihi se penumerò non tempero, quin benè ominer sanctae animae Maronis & Flacci. NE. At ego quot vidi Christianos quam frigide morientes? Quidam fidunt in his rebus, quibus non est fidendum: quidam ob conscientiam scelereum, & scrupulos, quibus indocti quidam obstrepunt morituro, penè desperantes exhalant animam. CHR. Nec mirum eos sic mori, qui per omnem

omnem vitam tantum philosophari sunt in ceremoniis. NE. Quid istud verbi est? CHR. Dicam: sed illud etiam atq; etiam prefatus, me non damnare, imò vehementer probare sacramenta & ritus ecclesie: sed quosdam, vel improbos, vel superstitiosos, vel, ut mollissime dicam, simplices & indoctos, qui docent populum hisce rebus fidere, prætermittis his, quæ nos verè reddunt Christianos. NE. Nondum satis intelligo, quorsum eas. CHR. Faxo ut intelligas. Si vulgus Christianorum spectes, nonne prora & puppis vite illis in ceremoniis est? In baptismo quantà religione representantur prisce ritus Ecclesie? Commoratur infans extra fores templi, peragitur exorcismus, peragitur catechismus suscipiuntur vota, abiuratur Satanas cum pompis & voluptatibus suis: tandem ungitur, consignatur, salitur, tingitur: datur negotium susceptoribus, ut puerum curent instituendum: Illi, dato nummo, redimunt libertatem: & iam puer Christianus dicitur, & est aliquo modo. Mox rursus ungitur: tandem discit confiteri, sumit Eucharistiam, consuescit quiescere diebus festis, audire sacrum, ieiunare nonnunquam, abstinere à carnibus. Et hæc si servat, habetur absolute Christianus. Ducit uxorem, accedit aliud sacramentum: initiatur sacris, rursus ungitur & consecratur, mutatur vestis, dicuntur preces. Atque hæc quidem omnia quod fiunt, probos; sed quod hæc fiunt magis ex consuetudine, quam ex animo, non probos: quod nihil aliud adhibetur

L ad

ad Christianismum, vehementer improbo. Siquidem magna pars hominum dum his fidei, nihilo secius interim per fas nefasq; congerit opes, servit iræ, servit libidini, servit livori, servit ambitioni: sic tandem venit ad mortem. Hic rursus ceremonia paratæ. Adhibetur confessio semel atque iterum, additur unctio, datur Eucharistia, adsunt cerci sacri, adest crux, adest aqua sacra, adhibentur indulgentiæ, expromitur, aut illicitam emitur morienti diploma Pontificis, ordinantur (ss) parentalia magnificè celebranda, fit rursus stipulatio solennis, adest qui clamet ad aurem morientis, imo nonnunquam occidit ante tempus, si contingat, ut sepe fit, vocalior, aut benè potus. Hec ut rectè adhibentur, præsertim quæ nobis tradidit Ecclesiastica consuetudo: ita sunt alia quedam reconditura, quæ nobis hoc præstant, ut cum alacritate spiritus, ut cum Christianâ fiduciâ ingremus hinc.

Eus. Piè tu quidem ista vereq; concionaris: sed interim nullus admovet manum cibis. Caveat quisq; ne se fallat. Ego prædixi, nihil expectandum præter secundas mensas, easque rusticanas, ne quis sibi promittat (tt) Phasides aves, aut attagenas, aut Attica bellaria. Hæc amoveto puer, & quod restat, apponito. Videtis non copię, sed inopię nostræ cornu. Hic est proventus hortulorum, quos vidistis. Ne parcite, si quid arridet. TIM. Tanta varietas est, ut vel ipso recreemur aspectu. Eus. Atqui ne planè contemnatis frugalitatem meam;

meam, hæc patina exhilarasset Hilarionem monachum Evangelicum, comitatum vel centum monachis illius seculi: Paulo verò atque Antonio, vel mensstruus commeatus esse potuisset. TIM. Imò nec Petrus, ille Princeps Apostolorum fastidisset, opinor, cum apud Simonem coriarium diversaretur. EUS. Imò nec Paulus, opinor, cum, coactus egestate, sutoriam nocturnis horis exerceret. TI. Debemus benignitati divinæ. Sed ego malim esurire cum Petro & Paulo, modo quod deesset corporis alimonia, abundaret in delicias animi. EUS. Imò discamus à Paulo & abundare, & penuriam pati. Cum deerit, gratias agamus Iesu Christo, qui nobis suppeditet & frugalitatis & patientie materiam. Cum supererit, gratias agamus illius munificentie, qui nos suâ liberalitate invitet ac provocet ad amorem sui: ac modicè parceq; fruente iis, quæ largiter præbuit divina benignitas, pauperum memores simus, quibus Deus deesse voluit, quod nobis superest, ut utrisq; per alteros sit occasio virtutis. Siquidem nobis largitur, unde subvenientes egestati fraternæ, misericordiam ipsius promercamur, & illi nostrâ liberalitate recreati, gratias agant Deo pro bona mente nostra, nosq; precibus suis illi commendent. Et rectè venit in mentem. Heus puer, dic uxori, ut ex assis, quæ superstant, mittat Gndule nostræ. Est vicina quædam gravida, tenui fortunâ, sed animo beatissima. Maritus nuper decessit, homo

L 2

profu-

phil. 4.
12.

profusus & ignavus, qui nihil uxori reliquit, praeter liberorum gregem.

Luc. 6. 30. TIM. Christus inussit dare omni petenti: id si facerem, intra mensem ipsi mihi mendicandum esset. EUS. Opinor Christum sentire de his, qui petant necessaria. Nam qui petunt, imò qui flagitant vel extorquent potius magnas summas, quibus extruant (uu) coenationes (xx) Lucullianas, aut quod peius est, quibus alant luxum aut libidinem suam, iis negare quod petunt, eleemosyna est; imò rapina est, largiri malè usuris, quod debebatur presenti necessitati proximorum. Vnde mihi videntur vix excusari posse à peccato capitali, qui sumptibus immodicis aut extruunt, aut ornant monasteria seu templa: cum interim tot viri Christi templa fame periclitentur, nuditate horreant, rerumque necessariorum inopiâ discriuentur. Cum essem apud Britannos, vidi tumbam divi Thomae gemmis innumeris summiq; pretiis onustam, praeter alia miracula divitiarum. Ego malim ista, quae superflua sunt, largiri in usus pauperum, quam servare satrapis aliquando semel omnia direpturis: ac tumbam ornare frondibus ac flosculis, id opinor gratius esset illi sanctissimo viro. Cum essem apud (yy) Insabres, vidi monasterium quoddam ordinis Carthusiani, non ita procul à Papiâ. In eo templum est intus ac foris, ab imò usque ad summum candido marmore constructum, & fere quicquid inest rerum, marmoreum est, velut altaria, columna, tumbae. Quorsum autem

autem attinebat tantum pecuniarum effundere, ut pauci monachi solitarii canerēt in templo marmoreo, quibus ipsis templum hoc oneri est, non usui, quod frequenter infestentur ab hospitibus, qui non ob aliud se eō conferunt, nisi ut spectent templum illud marmoreum. Atque illic cognovi, quod stultius est, illis legata in singulos annos tria millia ducatorum in structuram monasterii. Et sunt, qui putent esse nefas, eam pecuniam in pro usus avertere, prater mentem testatoris: maluntq; demoliri quod instarent, quam non edificare. Hac quoniam insignia sunt, visum est commemorare: quanquam sunt passim in templis nostris exempla permulta similia. Hac mihi videtur ambitio, non cleemosyna. Divites ambiunt sibi monumentum in templis, in quibus olim nec divitis locus erat. Currant se sculpendos ac pingendos, additis etiam nominibus ac beneficii titulo. Atque hisce rebus bonam templi partem occupant, olim, opinor, postulaturi, ut ipsorum cadavera in ipsis reponantur altaribus. Dicit aliquis: An horum munificentiam existimas reiiciendam? Nequaquam, si templo Dei dignum sit, quod offerunt. Sed ego, si sacerdos aut Episcopus essem, hortarer crassos illos aulicos, aut negotiatores, ut si vellent sua peccata redimere apud Deum, ista clanculum effunderent in subsidium eorum, qui verè pauperes sunt. Ipsi putant perire pecuniam, quæ sic frustulatum & clanculum in presentem egestatem tenuium sublevandam dissipatur, cuius nullum extet apud posteros

posteror monumentum. Ego puto nullam melius collocari eâ, quam ipse Christus sibi vult imputari, certissimus debitor. TIM. Annon putas rectè collocari, quod datur monasteriis? Eus. Et his darem nonnihil, si dives essem: sed darem ad necessitatem, nō ad luxum: tum his, inter quos sentirem vigere studium veræ religionis. TIM. Multi iudicant, non admodum bellè collocari, quod datur istis mendicis publicis. Eus. Et istis nonnihil dandum est al. quando, sed cum delectu. At mihi consultum videatur, si singule civitates suos alerent, nec ferrentur erronee huc & illuc circumcursitantes præsertim validi, quibus opus suppeditandum censeo potius, quàm pecuniam. TIM. Quibus igitur potissimum dandum censes, quantum & quatenus? Eus. Hoc mihi ad unguem describere difficilimum sit. Primum animum adesse oportet, qui cupiat omnibus subvenire. Deinde pro mea tenuitate quod possum impartio, quoties sese offert occasio, præsertim his, quorum & paupertas & integritas mihi nota est. Hortor & alios ad beneficentiam, si me defecerint facultates. TIM. Sed permittis ne nobis hic in tuo regno liberè loqui? Eus. Imò liberius, quàm si domi vestra sitis. TIM. Non probas in templis sumptus immodicos, & has edes multò minoris edificare poteras. Eus. Equidem arbitror has intra mundiciem consistere, aut si mavis elegantiam; certè ab sunt à luxu, nisi fallor. Edificent magnificentiùs, qui mendicatò vivunt. Et tamen hi ipsi horti
mei,

mei, quales quales sunt, vectigal pendunt egenis, & quotidie sumptibus aliquid detraho, in me meosq; frugalior, quo possim esse in pauperes munificentior. TIM. Si istum animum obtinerent omnes, permulti melius haberent quos nunc egestas gravat indignos: & ex adverso, multi minus essent obesi, digni, quos egestas doceat sobrietatem ac modestiam. Eus. Fortasse sic res habet.

Sed vultisne, ut hæc insipida bellaria re quam suavi condiamus? TIM. Plus satis est deliciarum. Eus. At ego hinc depromam, quod ne saturi quidem fastidiatis. TIM. Quid est? Eus. Codex est evangeliorum, ut quod lautissimum habeo, vobis depromam in fine convivii. Recita puer ab eo loco, ubi proximè destitisti. PU. Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, & alterum diligit: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo servire & Mammonæ. Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestre, quid manducetis: neque corpori, quid induamini. Nonne anima plus est, quam esca? & corpus plus, quàm vestimentum? Eus. Redde codicem. In hoc loco mihi Iesus Christus videtur bis idem dixisse. Et enim pro eo, quod prius dixit, Odio habebit, mox ponit, Contemnet, & pro eo quod prius posuerat, Diliget, mox vertit, Sustinebit: commutatis personis existit eadem sententia. TIM. Non satis adsequor quid velis. Eus. Demonstramus igitur ratione mathematica, si videtur. In priore parte pro uno pone A pro

L + altero

altero B. Rursus in posteriore pro uno pone B. pro altero. A. verso ordine: aut enim A. odio habebit & B. diliget, aut B. sustinebit & A. contemnet. Nónne hic palam est. A. bis odio haberi, & B. bis diligeri? TIM. Perspicuum est. E u s. Atqui hæc coniunctio, aut, præsertim repetita, habet emphasim sententiæ contrariæ, aut certè diverse. Alioqui nónne absurdè diceretur, aut Petrus me vincet, & ego cedam, aut ego cedam, & Petrus me vincet? TIM. Lepidum, ita me Deus amet. sophisma. E u s. At tum demum mihi videbitur lepidum, si hoc ex vobis didicero. THE. Animus somniat ac parturit mihi nescio quid. Si iubetis, quicquid est proferam in medium: vos eritis vel (zz) onirologi vel obstetrices. E u s. Quamquam vulgò mali ominis habetur somniorum memnisse in convivio, & parum sit verecundum, coram tot viris scetum eniti: tamen nos istud somnium, siue mavis, partum animi tui libenter excipiemus. THE. Mihi videtur in hoc sermone res commutari potius, quàm persona: & hanc vocem Vnum & Vnum non referri ad A. & B. sed utraq; pars refertur ad utrumlibet, ut utrumcunque delegeris, ei iam opponatur, quod significatur per alterum. Quasi dicas: Aut excludes A. & admittes B. aut A admittes, & excludes B. Hic videtis, manente personâ, rem esse translatam. Atque hoc ita dictum est de A. ut nihil referat si idem enuncies de B. hoc pacto: Aut B. excludes, & admittes A: aut admittes B, & excludes A. E u s.

Sapientia

Sanè argutè tu quidem problema nobis explicuisti, neq; quisquam mathematicus melius depinxisset in pulvere. So. Illud me magis movent, quòd prohibet esse sollicitos de crastino, cum Paulus ipse laborarit manibus victùs parandi causâ, atque idem acriter increpet otiosos, & ex alieno vivere gaudentes, admonens ut laborent, ac manibus operentur, quod bonum est, ut sit, unde tribuant aliquid necessitatem patienti. Annon pii, sanctiq; labores sunt, quibus maritus tenuis alit uxorem sibi charissimam, dulcesq; liberos? T. M. Ista questio, meâ sententiâ, variis modis dissolvi potest. Primum, ut ad illa tempora potissimum pertineat. Apostolis ob Evangelii prædicationem latè vagantibus, eximenda erat sollicitudo victùs undecunque suppeditandi, quibus non vacabat operâ manuariâ cibum querere, præsertim cum nullam artem scirent præter piscationem. Nanc alia ratio temporum est, & otium amplectimur omnes, laborem fugimus. Altera dissolvendi ratio est: Christus non interdixit indestriam, sed sollicitudinem. Et sollicitudinem intelligit iuxta vulgarem hominum adfectum, qui nulla de re magis anxii sunt, quàm de parando victu, ut omnibus rebus omissis, hoc solum agant, huic uni curæ sint addicti. Id propemodum indicat ipse Dominus, cum negat, eundem duobus dominis servire posse. Servit enim, qui toto pectore addictus est. Præcipuam igitur curam vult esse Evangelii propagandi, non solam. Aut enim: Primum querite regnum Dei,

L s & hæc

& hec adiicientur vobis. Non dicit, Solum querite, sed primum querite. Caterum in voce Crastini, puto hyperbolē esse, cum significet, in longinquum: qui mos est avaris huius mundi, ut posteris etiam anxie parent & querant. Eus. Accipimus tuam interpretationem. Sed quid sibi vult, quod ait? Ne solliciti sitis anime vestre, quid edatis? Corpus veste tegitur, at non edit anima. TIM. Animam, ut opinor, hic vitam appellat. Ea periclitatur, si cibum subdlexeris, non item, si vestem detraxeris, que magis datur pudori, quam necessitati. Et, si quem affligit nuditas, non statim occidit: at inedia certissima mors est. Eus. Non satis video, quomodo cohereat cum hac sententia, quod adiecit: Nonne anima plus est, quam esca? & corpus plus est, quam vestimentum? Nam si vita magni pretii est, tanto magis advigilandum, ne pereat. TIM. Hoc argumentum non adimit nobis sollicitudinem, sed auget. Eus. At non hoc sentit Christus, quod interpretaris: sed hoc argumento nobis addit fiduciam de patre. Si pater benignus gratis, & desuo dedit id, quod carius est, etiam adiciet id, quod vilius est. Qui dedit animam, non negabit alimoniam; qui dedit corpus, adiciet alicunde vestem. Illius igitur benignitate freti, non est, quod discruciemur sollicitudine curaq; rerum infimarum. Quid igitur super est, nisi ut utentes hoc mundo tanquam non utamur, totam curam ac studium nostrum transferamus in amorem rerum celestium, atque reiecto mammona, imò toto satana,

FAMIL. COLLOQUIA. 171

eum omnibus suis (i) prestigiis, uni Domino, toto
 & alacri pectore serviamus, qui non destituet fi-
 lios suos.

Sed interim nullus attingit bellaria. His certè
 cum gaudio vesci licet, quæ non magnâ curâ no-
 bis domi proveniunt. TIM. Abundè satisfac-
 tum est corpusculo. Eus. Vellem equidem & a-
 nimo. TIM. Atq; uberius etiam animo. Eus.
 Hæc igitur tolle puer, ac labrum appone. Lavemus
 amici, ut si quid fortasse commissum est in hoc con-
 vivio, purgati canamus hymnum Deo. Perficiam,
 si videtur, quod cœperam ex Chrysostomo. TIM.
 Rogamus. Eus. Gloria tibi Domine, gloria tibi
 Sancte, gloria tibi Rex, quoniam dedisti nobis escas.
 Imple nos gaudio & letitiâ in spiritu sancto, ut in-
 veniamur in conspectu tuo acceptabiles, nec pude-
 fiamus, quando reddes unicuique secundum opera
 sua. Pu. Amen. TIM. Profectò pius & ele-
 gans est hymnus. Eus. Hunc divus Chrysostomus
 non dedignatur etiam interpretari. TIM. Quo-
 nam loco? Eus. In Mattheum, hom. LVI.
 TIM. Non omittam, quin hodie legam. Sed illud
 unum interim ex te cupio discere, Cur ter optamus
 Christo gloriam, idq; triplici cognomine, Domini,
 Sancti, & Regis? Eus. Quoniam illi debetur o-
 mnis gloria. Sed nobis triplici nomine potissimum
 est glorificandus: quod suo sacrosancto sanguine re-
 demerit nos à tyrannide diaboli, sibiq; adseruerit,
 unde & Dominum illum vocamus. Deinde quod
 non consentius gratis condonasse nobis omnia pec-

6474,

cata, per Spiritum suum contulit nobis & iustitiam suam, ut scētemur ea, quæ sunt sanctimonie. Atque ob id sanctum cum vocamus, quod sit sanctificator omnium. Postremo, quod ab eodem speramus premium regni cœlestis, ubi ille iam sedet ad dextram Dei Patris, & hinc nobis Rex dicitur. Atque hanc totam felicitatem illius erga nos gratuita, bonitati debemus, quod pro domino, vel tyranno potius diabolo, Dominum habemus Iesum Christum; pro immundicia & sordibus peccatorum, innocentiam ac sanctimoniam; pro gehenna, gaudia vite cœlestis. T 1. Pia profecto sententia.

Eus. Quoniam nunc primum vos hic accipi convivio, non dimittam vos absque (2) xeniis, sed talibus, qualis fuit apparatus. Hæus puer profer (3) apophoreta nostra. Sive sortiri placet, sive sibi quisque malit deligere, minimum refert: eiusdem frere pretii sunt omnia, hoc est, nullius. Non enim sunt sortes Heliogabali, ut huic obveniant equi centum, illi totidem mulsæ. Sunt libelli quatuor, horologia duo, lucernula, & theca cum calamis (4) Memphiticis. Hæc arbitror magis convenire vobis, quam opobalsamum aut dentifricium, aut speculum, si vos novi satis. T 1. Adeo bella sunt omnia, ut nobis difficilis sit electio: ipse magis pro tuo arbitrato distribuit, sic gratus etiam erit, quicquid obtigerit. Eus. Hic libellus in membranis habet proverbium Salomonis, sapientiam docet, & auro pictus est, quod aurum habeat sapientie symbolum. Hoc dabitur cato nostro, ut iuxta

do.

FAMIL. COLLOQUIA.

de huius sapientia

doctrinam evangelicam, habenti sapientiam, & exuberet. TIM. Certè curabitur, ut minus egeam. Eus. Sophronio congruet horologium, huc ex extrema Dalmatia profectum, ut vel sic commendem munusculum meum. Novi enim quàm ille sit parvus temporis, quàm nullam omnino portionem rei pretiosissimæ sinat abire sine fructu. SO. Imò pigrum admones diligentia. Eus. Hic libellus habet in membranæ Evangelium secundum Mattheum: gemmâ tegi merebatur, nisi nullum esset illi scrinium aut theca charior, quàm pectus hominis. Illic igitur recondito Theophile, quò magis hoc sis, quod diceris. THEOPH. Efficiam, ne prorsus male collocasse videaris tuum munus. Eus. Hic sunt epistolæ Pauli, quas tu libenter tecum circumfers Eulali, qui Paulam semper habere soleas in ore, nec haberes in ore, nisi esset in pectore: posthac commodius erit etiam in manibus oculisq;. EUL. Istuc non est dare munus, sed dare consilium. Porro bono consilio nullum est munus preciosius. Eus. Lucernula conveniet Chrysoglotto, (5) anagnostæ insatiabili, & ut M. Tullius inquit, librorum belluoni maximo. CHR. Bis habeo gratiam: primum pro munere non vulgariter eleganti; deinde quòd somniculosum admones vigilantia. Eus. Theca calamaria debetur Theodidactæ felicissimè (6) πολυγράφῳ, atque hos ego calamos felicissimos esse indico, quibus celebrabitur gloria Domini Iesu Christi, tali præsertim artifice. THE. Utinam & pectus suppedi-

tate

rare possis, quemadmodum suppeditas instrumen-
ta. Eus. Hic codex habet aliquot Plutarchi li-
bello de moribus, sed selectos, & à quadam Gre-
cæ literaturæ peritissimo non insciè descriptos,
in quibus tantum reperio sanctimonie, ut mihi
prodigio simile videatur in pectus hominis ethnici
tam evangelicas potuisse venire cogitationes. Hic
dabitur Vranio inveniē (7) cixē dxi. Superest
horologium: id cedat nostro Nephelio parcissimo
temporis dispensatori. NEPH. Habemus gra-
tiam, non solum pro munusculis, verum etiam pro
testimoniis. Nam isthuc non tam est distribuere
xenia, (8) quàm elegia. Eus. Imò ego vobis ha-
beo gratiam duplici nomine. Primum quod no-
stram exilitatem boni consulitis. Deinde quod e-
ruditis iuxta ac piis sermonibus refecistis animum
meum. Ego vos quomodo acceptos dimittam, ne-
scio, certe vos relinquam melior ac doctior. Scio
vobis non esse cordi fistulas, aut moriones, ac multo
minus aleam. Quare, si videtur, sallemus horulam
spectandis reliquis regie meæ miraculis. TIM. I-
stud eramus abste flagitaturi. Eus. Apud bo-
næ fidei promissorem non est opus flagitatore.
Hanc aulam æstivam opinor vos iam satis con-
templatos. Habet triplicem prospectum, & quo-
quo versum desleetas oculos, occurrit viror horu-
rum gratissimus. Vitreis fenestris volubilibus si vi-
deatur, licet excludere cælum, si nebulis aut ven-
tis sit incommodius: licet & densis valvis foris ad-
motis, ac tenuibus intus excludere solem, si quid of-
fendat

fendat æstus. Hic cum prandeo, videor in horro
 prandere, non in domo. Nam & parietes virentes
 suos habent inpersos flosculos: sunt & picturæ non
 inuenuitæ. Hic Christus supremam compotatio-
 nem agitat cum electis suis discipulis. Hic natali-
 tia celebrat Herodes funesto convivio. Hic evan-
 gelicus ille dives epulatur splendide, mox descen-
 surus ad inferos. Lazarus repellitur à foribus, mox
 excipiendus sinu Abrahe. T I M. Hoc argumen-
 tum non satis agnoscimus. Eus. (9) Cleopatra est
 cum Antonio luxu decertans: iam unionem ebi-
 bit, alteri manum admovit detractura. Hic pu-
 gnant Lapihæ. Hic Alexander Magnus hastâ
 transverberat Clitum. Hec exempla nos admo-
 nent sobrietatis in convivio, & à crapula luxur-
 deterrent. Nunc adeamus Bibliothecam, non il-
 lam quidem multis instructam libris, sed exquisi-
 tis. T I M. Locus hic planè divinitatem quan-
 dam præsefert, adeo nitent omnia. Eus. Hic
 videtis præcipuam partem opum mearum. Nam
 in mensâ nihil vidistis nisi vitreum ac stanneum,
 nec est in tota domo vas ullum argenteum præter
 unum poculum inauratum, quod ob amorem eius,
 qui dono dedit, religiosè servo. Hæc sphaera pensilis
 totum orbem ponit ob oculos. Hic in parietibus
 singule regiones fusiore spatio depicte sunt. In re-
 liquis parietibus videtis insignium authorum i-
 magines. Nam omneis depingere fuerat infini-
 tum. Christus primum habet locum porrectâ manu
 sedens in monte. Capiti imminet pater dicens:

Ipsam

Ipsū audite. Spiritus Sanctus, ex pansis alis multa luce complectitur illum. TIM. Opus, ita me Deus benē amet, Apelle dignum. Eus. Adiunctum est bibliotheca (11) Muscion quoddam angustum, sed elegans quod submotā tabulā ostendit foculum, si quid offenderit frigus. In aestate videtur solidus paries. TIM. Hic mihi gemmea videntur omnia. Est mira odoris gratia. Eus. Hoc mihi perpetuū studio est, ut niteat domus, & benē oleat. Vtrag, res minimo constat. Habet bibliotheca suū ambulacrū pensile spectans in hortum, & huic adheret sacellum. TIM. Locus numine dignus. Eus. Nunc adeamus illa tria ambulacra, quæ imminēt tuis, quæ vidistis ad hortum domesticū spectantia. In his superioribus utroq, prospectus est, sed per fenestras, quæ possunt occludi, præsertim in his parietibus, qui non spectant hortum interiorem, quò domus sit tutior. Hic ad levam, quia plus est lucis, & paries raris fenestris interruptus, ordine depicta est tota vita Iesu ex narratione quatuor Evangelistarum, usque ad missum spiritum sanctum, & primam prædicationem Apostolorum ex Actis. Addite sunt & locis notæ, ut agnoscat spectator, iuxta quod stagnum, aut in quo monte res gesta sit. Additi sunt tituli paucis verbis subnotantes totum argumentum, Delut illud, quod dicitur à Iesu: Volo, mundare. Ex adverso respondent figuræ, & vaticinia veteris testamenti, præsertim e prophetis & psalmis, qui nihil aliud habent quàm Christi vitam & Apostolorum, aliter nar-

ter narratam. Hic nonnunquam obambulo mecum
 fabulans & animo contemplans illud ineffabile
 consilium Dei, quo per filium suum restituere vo-
 luit genus humanum. Nonnunquam adest uxor
 comes, aut amicus quispiam, qui rebus piis delecte-
 tur. TIM. In hac domo cui posset obrepere tæ-
 dium? Eus. Nulli, qui didicerit secum vivere.
 In summa ora picture, velut extra ordinem addi-
 ta sunt capita Pontificum Romanorum cum suis
 titulis. Ex adverso, capita Caesarum ob memoriam
 historie. In utroq; cornu prominet pensile cubicu-
 lum, ubi liceat interquiescere, & unde spectare li-
 cet pomarium, & aviculas nostras. Hic in extremo
 angulo prati videtis aliud edificium, ubi cœna-
 mus nonnunquam æstivis mensibus, & ubi cura-
 tur, si quem forte è familiarib. corripuerit morbus
 ob contagium formidabilis. TIM. Quidam ne-
 gant huiusmodi morbos esse vitandos. Eus. Cur
 ergo vitant foveam, aut venenum? An hoc minus
 timent, quia non vident? Nec basilisci venenum
 videtur, quod afflat oculis. Vbi res poscat, non du-
 bitem pro necessariis venire in vitæ discrimen: si-
 ne causa subire vitæ periculum, temeritas est: a-
 lios in vitæ periculum adducere, crudelitas. Sunt
 & alia quedam non iniucunda spectata, ea man-
 dabo uxori, ut ostendat. Manete hic vel totum
 triduum, & hanc domum putate esse vestram.
 Pascite oculos, pascite animos. Nam me negotia
 quedam alio vocant. Est equitandum in pagos a-
 liquot vicinos. TIM. Ob rem pecuniariam?

M

Eus.

Eus. Ego tales amicos non relinquerem pecunia gratiâ. TIM. Fortassis venatio parata est alicubi. Eus. Plane venatio est: sed aliud venor, quàm apros aut cervos. TIM. Quid igitur? Eus. Dicam. In uno pago decumbit amicus quidam non sine periculo vitæ. Nam corpori metuit medicus: ego magis metuo animæ illius. Si quidem mihi videtur parum rectè compositus ad emigrandum sicut dignum est Christiano, huic adero meo hortatibus, ut, siue moriatur, siue revalescat, bono ipsius fiat. In altero dissidium acre est natum inter duos non malos quidem illos, sed tamen pervicacis ingenii viros. Quod si exasperetur, vereor ne plures secum trahat in consortium simultatis. Adnitar totis viribus, ut hos redigam in gratiam. Nam utriq; sum veteri necessitudine iunctus. Hec sunt, quæ venor. Quod si venatio successerit ex animi sententia, simul hic celebrabimus (1) convivium. TIM. Pia venatio, precamur, ut tibi pro Delia Christus adspiret. Eus. Hanc prædam ego malim, quàm obvenire mihi hereditate bis mille ducatos. TIM. Mox rediturus? Eus. Non nisi tentatis omnibus. Quare certum tempus non possum præscribere. Vos interim meis perinde ac vestris fruamini, & valete. TIM. Dominus Iesus te feliciter deducat ac reducat.

(a) In Epod. Dapes inemptas apparet. Et Verg. 4. Georg. Dapibus mensas onerabat inemptis. (b) In vera historia. (c) Cors cortis, spatium circum villam septum, unde cortex a ves gallinæ apud Mart. Et inde militum cohors, quod

quod ex agris legi soleat. (d) Convivator, qui excipit & excipitur convivio. (e) Lampadem tradere, est alteri tradere negotium. (f) Id est, respicite, q.d. post factum sapite, & de errore admissio ita dolere, ne pergatis. Idque explicat verbum sequens, Convertite vos, &c. (g) Actorum tertio cap. (h) Ego sum & c. (i) Gentilitas Priapum, Deum nudum, & membrofiorem aequo, in hortis tanquam tutelarem constituebat. (k) Quicquid voluptuosum est, id Epicureum vocant. (l) Suius *Amaracinum unguentum*, ex amaraco factum, venenum est, unde proverb. *Quid cum Amaracino sus* (m) *crustamentum* est superregumentum, quod parietibus aut calce aut gypso inducitur. (n) Id est, prudens esto, non omnibus volito. Vide proverbium de noctua *Atheniensium*. (o) Vide proverb. *scarabæus aquilam*. (p) *Trochilus* avicula, naturâ aquilis infesta. Lege Plin. lib. 10. cap. 74. (q) De hirundine idem lib. 25. c. 8. (r) De chameleonte lib. 8. cap. 33. Cinædi molles omnes, & voluptatibus dediti. (s) *Chorales*, qui choreas ducentibus canunt. (t) Vide Plin. lib. 21. cap. 26. (u) Id est, reperit Deus nocentem. (x) Extat hac de re lepidum epigramma apud Græcos. (y) Id est, captans capior. (z) Author Plin. Suntque Liburnicæ naviculæ intextæ viminibus. (aa) Alludit ad id, quod & apes regem & politiam habere finguntur. (bb) Hymnus nihil aliud quam divina laus est. (cc) *Sophronius*, temperans, *Theodidactus* divinitus doctus, *Nephalus* sobrius, *Eulalus* bene loquens. (dd) Alludit ad illud Mart. *Ut sapiant fœtue fabrorum prandia betæ*, Oquàm saepe petet *Gina piper q, coquus* (ee) Sicut fremitus leonis, ita & regis ira prov. 19. (ff) *Oestro*, i. furoris stimulo. Unde proverb. (gg) *Achelous* amnis est Acarnania. Vide Strabonem. (hh) *Extrema anchora*, postremum subsidium. (ii) Supplicatio & ovario sunt infra triumphum: allusum est autem ad ova adposita. (kk) *Secotus*, vita privata, aut monachismus. (ll) *Muta persona* in fabulis, quæ ostenditur quidem, sed non loquitur.

quitur. Horat. *Nec multa loqui persona labores*. Vide proverb. *Multa persona*, (mm) i. divinitus afflatus. (nn) Religio propriè est eorum, quæ reveremur veluti sepulchrorum, cui proxima est superstitio. Alludit ad locum Paul. Col. 2. (oo) Lege in Chiliadib. proverbium. *Sybaritica mensura*. (pp) i. In vino veritas. (qq) *Idolorum*. i. idolis sacrificatis oblatis. (rr) i. Cygnea cantio. Vide Chiliades. (ss) *Ad carceres*. i. ad initium. Carcer enim dicitur, unde equi duntantur ad cursum. (ss) *Parentalia* iusta sunt, & pro mortuis sacrificia, vulgò exequia. (tt) *Phasides & Arragines*. sive, ut alii malunt. *Attages ades* in deliciis habitæ. Attica bellaria de lautitiis & cupidis dicuntur. (uu) *Cœnatio*, locus est ubi cœnatur. (xx) Luculli Romani magnificentia multorum literis celebrata (yy) *Insuæres*, Italia populus, qui Mediolanum tenent. (zz) *Omiropoli*, divinatores, quibus exacta somniorum dijudicandorum ratio est, conjectores. (1) *Præstigia* vanæ & fallaces rerum species. (2) *Xenia* munuscula, quæ dantur hospitibus aut amicis. (3) *Apophoreta*, quæ dantur in fine conviviorum auferenda, si cui videatur. (4) Qui chartis serviunt ob id probatissimi (5) *Assignos*, lector. (6) Qui multa scribit, qualis fuit Chrysippus ac Didymus. (7) i. amator Græcitatatis. (8) *Elogia*, sunt rerum gestarum propria testimonia; plerumque in bonam partem sumitur dictio. (9) Lege vitam Cleopatæ apud Plutarch. & Plin. cap. 15. lib. 9. (10) *Musæum* locus in ædibus, ubi musarum sacra studia tractantur. (11) Id est, festa, sive epulum pro victoriâ parata.

A P O.